

rum deauratis, picturatis, et *Matthiae Corvini Hung.* Regis insignibus decorus, demum ad *Job. Fabrum* Ep. *Vien.* e famosa Bibliotheca *Budensi* quomodocumque delatus, ab eoque Collegio suo ad *D. Nicolaum* legatus, ut nota frontis et calcis testatur, ita inscribitur: *Beati Basilii Archiepiscopi Cesaree Cappadociensis De Diuinitate Filii & Spiritus Sancti: Adversus Eunomium Incipit:* Praeit vero cum *Praefatio* dicatoria *Bessarionis* Card. ad *Eugenium* IV. Pont. tum *Epistola* interpretis *Georgii Trapezuntini* ad *Bessarionem*, qui ei *Basilii* interpretandi autor fuerat; cum enim haec sub Concilio *Florentini* agerentur tempora, nondum amicitiam renunciaverat *Georgio* Cardinalis, quod demum sub *Nicolao* V. et *Paulo* II. accidit stringente calamum *Bessarione* in *Trapezuntinum* non traductorem, sed, ut ipse adpellat, *calumniatorem Platonis*. Ne duplex hoc *Προλεγόμενον* hic adscriberem, quamvis in recentioribus *Basilii* Editionibus non cum ratione omissum, vetustiores faciunt, puta *Ascensiana Paris.* 1520. f. *Cervicorniana Colon.* 1523. f. &c. in quibus prostat. *Versionem* nostram a *Viris doctis* successu temporis elimatam praesentat *Editio Maur. Paris.* 1721. T. I. p. 207. f. *Ejus initium* in *Codice:* *Si omnes super quos Dei ac Salvatoris nostri ihesu christi nomen invocatum est &c.* Et finis: *Qui vero domino adberet unus spiritus est.*

II. fol. 99. p. 2. *Eiusdem B. Basilii* *Contra Eunomium Ad Amphilochoium Episcopum Iconii De Spiritu Sancto.* Praestantissimum istud magni Praefulis Opus ab *Erasmo* primum versum dicere videtur *Fabricius Bibl. graec. L. V. c. 19.* p. 79. Verum vide *Cod. praeced.* et audi *Bessarionem* in suprac. Praef. *Accipias igitur — opera; haec quidem contra impium eunomium illum, haec uero ad beatum amphilochoium de eadem materia edita.* Et *Trapezuntinum* in ep. *Accepi litteras tuas, — quibus a me petis, ut magno illi basilio diuinitus contra eunomium conscripta uolumina ac simul quae ad beatum amphilochoium edidit: in latinam linguam ex greca transferam.* Incipiunt haec: *Laudaui diligentiam tuam in discendo atque industriam &c.* Et finiunt: *iuxta cognitionem quae dignis a spiritu prebetur.* In *Edit. Maur.* exhibentur T. III. p. I. et quidem, ut additur, ex *Interpretatione Erasmi.* *Codicem nostrum ἀπογραφοῦ Laurentiani* cujusdam *Florentini* esse vix dubitem.

CCLXVI.

Codex membraneus lat. Sec. U. 170 XIV. Folior. 77. f. min. nitide perscriptus, rubricis illustratus, et olim, ut *pag. ult. erasum, Monasterii S. Dorothee Wienne,* dein, ut *Thecae anteriori intus adnotatum, Joann. Alexandri Brassicani Ann. 1528.* et demum *Job. Fabri* Antistitis nostri, ita minio insignitur: *Incipit praefatio Eusebij Jeronimi in librum Didimi Alexandrini*

drini de spiritu Sancto. Vir hic, quamvis ab infantia privatus oculorum usu, mire profecerat in profanis, sacrisque literis, dumque illi *Hieronymus* inter *Viros illustr.* c. 109. texeret elogium, jam annum 83. vivendo excefferat. Audiit illum *Alexandriae* docentem cum fructu *Hieronymus*, neque contentus praesens etiam doctissimum ejus Opusculum latinum fecit, quod jam graece non extat. Versionem nostram habes inter *Hier. Opera* edit. *Maur.* T. IV. P. I. *Append. col.* 493. et edit. *Vallars.* T. II. *col.* 105. Seorsim, et quidem in tres divisum *Libros* contra Autoris et Interpretis mentem, prodiit *Helmestad.* studio *Joh. a Fuchte* 1614. 8. Nobis in *Capita XXIII.* tribuitur. *Hieronymi* Praefatio ad *Paulinianum* directa est, quod Titulus noster diffimulat. Diffimulare tamen ego non possum, in hac Praefatione ab Editoribus haecenus prave positum fuisse: *post Romuli casam et ludorum Lupercalia*, pro quo recte Codex noster: *ludorum Lupercal.* Quid enim essent *ludorum Lupercalia*, nisi *ludorum ludi*? Non ita *ταυτολογος Hieronymus*; sed, cum ei de locis res esset, *diversorio Mariae et Salvatoris speluncae casam Romuli* et speluncam *Pani* in monte *Palatino* dicatam, dictamque *Λυκείον* id est *Lupercal*, unde festi *Ludi Lupercalia* adpellabantur, obponit. Ceterum Codicis lectio satis proba est.

II. fol. 36. *Incipit Ambrosius de bono mortis.* Hoc tenore: Quo-

niam de anima superiore libro sermonem aliquem contexuimus &c. Habetur edit. *Maur.* *Paris.* 1686. T. I. *col.* 389. Nobis absque divisione in *Capita* decurrit, textu fat castigato. Mox sub ingressum pro: *spirandi munere frui legitur: fungi.*

III. fol. 54. *Ambrosius de ysaac et anima.* Opusculo huic priores deberi, vel ex initio praecedentis patet. Itaque T. *cit. col.* 355. occurrit. Ejus ingressus est: *In patre nobis sancti ysaac uel origo satis expressa est uel gratia &c.* In progressu lectionis: *exiit in campum abalienari*, mallet, quam *abalienare*, quod habent *Edita*, ubi *Hebraeus* פריש , *Interpretes* $\alpha\delta\omicron\lambda\epsilon\chi\eta\sigma\alpha\iota$, $\omicron\mu\iota\lambda\eta\sigma\alpha\iota$, $\lambda\alpha\lambda\eta\sigma\alpha\iota$, nempe $\tau\omicron\iota\varsigma$ $\iota\delta\iota\omicron\iota\varsigma$ $\lambda\omicron\gamma\iota\sigma\mu\omicron\iota\varsigma$, unde *Vulg. ad meditandum*, quasi secum agendum, et mentem ab aliis curis abstrahendam, cui utique vox passiva *abalienari* melius respondet. Mox in *Editis Enos autem qui assumpsit et speravit &c.* τὸ *qui* redundare videtur, quod etiam Codex omitit. Suspicio etiam paullo post cum Codice legendum: *manifesta viri interpretatione pro veri.* Quamvis enim *Ambrosius* hic *Enos* cum *Enoch* confundat, ad significationem tamen vocis אֲנוֹן *Homo* alludere illum conjicio &c.

IV. fol. 75. p. 2. *De cura rei familiaris Bernbardus.* Non utique *Claraevallensis*, sed *Silvester* ille saepius relatus ad *Raymundum militem* epistola, quae infit: *Doceri petis a me de cura et modo rei fami-*

471

CODICES

472

familiaris &c. Vide *Vol. I. P. I. col. 816*. Singulis Opusculis Lib- rarius praeter pias preculas sub- scripsit:

Penna gradum siste, quoniam liber explicit iste.

CCLXVII.

R. 3078 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 184. f. per duas columnas nitidissime scriptus, rubricis distinctus, olimque *beate Marie virginis in Parngartenperig, Ordinis Cisterc.* in super. Austria inscribitur: *Omellie Johannis Crisostomi Super Matheum*. Praeit Capitulare *Homiliarum XL*. Dein *Incipit Prologus Beati Johannis Episcopi In Opus Sequens*. Nempe: *Sicut referunt, matheum conscribere ewangelium causa compulit talis.* &c. Opus Autoris incerti jam saepius *Vol. I.* a me relatum in hoc Exemplo fitit in verbis: *Si quis autem ministerium hoc per illum (illos) putat impletum, qui in actibus apostolorum leguntur.* Atque in iisdem fitit, observante *Montefalconio* edit. *Maur. Opp. Chrysostomi T. VI. Paris. 1724.* f. p. CXCVI. etiam Codex Carthusianorum *Vallis Dei*, aliis Exemplis ad C. 25. *Matthaei* et *Homiliam LIV.* progredientibus. Textum nostrum satis probum conferendo deprehendi.

CCLXVIII.

U. 167 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 76. f. per duas columnas satis bene scriptus, rubricisque illustratus, multis tamen locis emendatus et subpletus testamen-

to *M. Conradi de Hildeshem* Theol. Baccal. et in *Decretis Licentiatum*, de quo nihil compertum habeo, obvenit *Librariae Collegii Theol. et Artist. Wienne*, ut *Theca* anterior praefert. Continet vero duplici titulo: *Omeliarium Crisostomi Alias de opere imperfecto*, seu *Commentum Crisostomi episcopi super ewangelium Mathei*, cujus initium: *Sicut referunt matheum conscribere ewangelium causa compulit talis* &c. De *Homiliis* his *Johanni Chryso.* subpositis non semel egi superiore *Vol.* Extant in edit. *Opp. Mauriana Paris. T. VI. pag. XI.* numeroque sunt *LIV.* At nobis hic aliter divisae abrumpuntur *Homilia XL.* in expositione *Cap. XXIII. v. 37.* his verbis: *qui lapides quosdam iactant super apostolos et prophetas*, quae in *Editis* occurrunt *Homil. XLVI. pag. CXCVI.* Aliquot igitur Codicis cetera prohi folia excidere.

CCLXIX.

R. 499 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 115. f. per duas columnas nitide scriptus, et posteriore parte miniatus multa complectitur *D. Joh. Chrysostomi* in antiquis *Versionibus* latinis, et in primis *Sermones LXXI.* praevio *Elencho*, quorum *I. De Genesi et Dignitate humane conditionis*, qui incipit: *Dignitas humane conditionis facile*